

IN DIVINVM AC UTILISSIMVM OPVS

Ephemeridum nobilis ac clarissimi viri D. Cypriani

Leouicij de Leonicia, Bohemi: Elegendion

Gasparis Bruschi Egrani P. L.

Atlas

OMnes ex equo docti mirantur Atlantem
 Quod caelos humeris gesserit ille suis:
 Quod pro religione aliquid, pro arisq; focisq;
 Fecerit eximij magnificiq; Boni.
 Forte instaurarit collapsaq; templa Deorum
 Monstraritque ipsos ex ratione Deos.
 Et qua quisq; foret uirtute & honore colendus,
 Quid generi humano quisq; tulisset opis?
 Nam tales humeris caelum gestasse feruntur,
 Gestasse ut Christum dicitur ille Cyclops:
 Qui templis passim nostris appingitur heros
 Paruum humeris puerum per uada caeca ferens.
 Sed laudatur Atlas non hoc modo nomine, uerum
 Pluribus, & miris hac ratione modis:
 Astrorum motus quod sit scrutatus, & horum
 Imbuerit pulchra cognitione suos:
 Ut multi auderent, curis mortalibus istis
 Permissis seculo, tollere in Astra caput:
 Ac per Olympiacas arcesq; domosq; uagari
 Perq; Deorum illic ire redire decus.
 Quin per utrumq; polum spaciari & cuncta notare
 Fecit ibi mira quae pater arte Deus:
 Ille opifex rerum nullo enarrabilis ore,
 Qui quarentibus haec, prodece multa solet:
 Ut, quid significant tam corpora pulchra, monere
 Mortales norint, totum hominumq; genus.
 Quid rapiant secum, quid portendantq; ferantq;
 Gaudia quando bonis, uulnera quando malis?
 Quando fame rabida, quando horrida bella, necesseq;
 Aut similes clades, quas ferus orbis habet.
 Quas peccatorum nostrorum secula meretur
 Colluuias, poenis sic maceranda feris.
 Nam sunt omnino stelle, non lumina tantum
 Quae noctem irradiant: Sed, nisi fallar ego:
 Vaticinatrices irarum numinis, atq;
 Poenarum famulae, quas mouet ira Dei.
 Significatrices fatum, quae Pater ipse
 Concepit aethereus, corpora tanta mouens.
 Quin & temporis, horarum atq; uolubilis anni
 Demonstratrices: quidq; ea cuncta ferant?
 Quando oleas pingues, Cererem Bacchumq; colono
 Propicio: quando pomifer annus erit?
 Quae quoniam docuisse suos Maurusios heros
 Creditur, & nitidos exposuisse Polos:

Hinc finxere Deum ueteres & numen Atlantem,
 Cuius in aetherea sit domus omnis humo:
 Nempe quod humanis monstrarit coetibus ista,
 Fecerit & pulchram primus ad astra uiam.
 Et quia fecit idem tribus e dijs natus Orion,
 Pulchrum etiam idem inter sydera nomen habet:
 Nam non ille fuit modo prisca auditor Atlantis
 Non procul a Thebis. Cadme uetuste tuis:
 Ipse sed ingenti uestigia cuncta sequutus
 Latone studio, ad sydera fecit iter.
 Obseruans lunae, Venator maximus unde
 Est habitus, Diuae maximus atq; proci:
 Solis enim & lunae cursusq; uiasq; notauit,
 Plenus & amborum cognitione fuit.
 Et pugnax etiam cum quidam Scorpius esset
 Qui contra euomeret probra pudenda Deas:
 Latone matris, natemq; uenenifer hostis:
 Infectatus cum dicitur ille quoq;
 Sed nec ab ambarum cultu cessasse Dearum,
 Ictus ab hoc caderet quam prius hoste malo.
 Inde utriq; Deae charus, ne praemia deessent
 Virtuti ac studijs, raptus in astra fuit:
 Inter adhuc ubi nunc pulcherrima sydera fulgens
 Non leuia officij commoda Letus habet.
 Tales Orpheus & Castor Polluxq; fuerunt,
 Arcturus, Cepheus, Philyridesq; senex:
 Ante sed hos etiam Saturnus, Iupiter & Mars
 Cumq; sorore sua pulcher Apollo quoq;
 Reginasq; inter Berenice, Astraea, Medusa
 Casiopea decens atq; Ariadna potens:
 Quae quia scrutatae pulchri sunt sydera caeli
 Inter sydera nunc non male nomen habent.
 At uelut heroes, quos diximus haecenus, omnes
 E studio astrorum nomina tanta tenent:
 Amphitrioniden ita causam propter candem
 Suspiciunt, ueterum qui monumenta legunt:
 Quod post regnorum curas & mille labores
 Scrutaretur item Sydera more pio.
 Ad res praeclearas etenim cum laude gerendas
 Commoda non equidem, haec cognita, parua ferunt.
 Vana superstitio tantum excludatur ab arte,
 Aeternusq; Dei non minuitur honos.
 Sensit idem Magnus dubio sine Carolo olim,
 Obseruans miris sydera & ipse modis:
 Unde

Orion

Hercules

Carolus
Magnus